

Tom: LXXVI. Miscell.

~~G.H. 17.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

17-18.

SIGNAT. CLVCCCCXIII.



66
בִּיהוּ אֱלֹהִים

DISPUTATIO IIII.

in Cap. LIII. Esaiæ,

De

PASSIONE AC

MORTE CHRISTI,

In Electorali ad Albim Academia,

Adversus Hæreticos tum Veteres, tum

Novos instituta,

AUTORE AC PRÆSIDE

IOHANNE FORSTERO

S. S. Theologiæ Doctore & Pro-
fessore publico,

RESPONDENTE

M. MATERNO SCHILTERO
Lipsiensi,

Die 22. Sept. horis locoque consuetis.



WITTEBERGÆ,

Typis Joh. Gormanni, Anno 1610.

IN
DIE
PASSIONE
VON
CHRISTO
VON
JOHANNES
LUTHER

JOHANNES
LUTHER
22. Theologie Doctor & Pro-
fessor
in
Wittenberg
1522

Wittenberg
Im Druck der
Druckerei
1522

3






Τὰ προλεγόμενα.

Propositio

I.



CTORVM 2. Apostolorum Princeps Petrus edisserit; CHRISTUM, ὠρισμένη βελή, id est, definito DEI consilio, passioni ac morti suæ ab aeterno fuisse destinatum.

II.

Istud verò decretum suum: non in occulto latere passus est DOMINUS: sed mox indè ab Origine Mundi in apicem protulit, idq; partim τυπικῶς partim ῥητῶς.

III.

1. Et τυπικῶς quidem, tum in omnibus sacrificijs ἱλαστικῶς: tum in quibusdam etiam picturis προσηλαστικαῖς.

IV.

Inter quas præcipuè eminent eæ quas Μωσὴς μέγας ἰ Θεόλογος; sicut ab Eusebio appellatur, Pentateucho interseruit, ut: (a) Isaaci, (b) Josephi, (c) Petræ in deserto, (d) Hazazelis (e) Vaccæ ruffæ (f) Serpentis ænei. &c.

(a) Gen. 22. (b) Gen. 37. (c) Exod. 17. (d) Lev. 16.

(e) Num. 19. (f) Num. 21.

V.

2. ῥητῶς autem decretum illud suum patefecit DOMINUS in illustribus Vaticinijs, quorum non pauca in Codice Biblico sunt obvia.

VI.

Palman verò reliquis ferè omnibus præripit acircum Caput LIII. Prophet. Evangelistæ nostri Esaiæ.

A 2

7. Tam

VII.

Tam disertè & apertè enim, ea de re, vaticinatur, ut Johanni Evangelistæ sub cruce adstitisse, coramq; ore & oculis hausisse omnia & singula, rectissimè videri queat.

IIIX.

Pergamus itaq; nostro in instituto; & sicut proxima velitatione disceptatum fuit, de *Universalitate Meriti CHRISTI*; ita in hâc præsentè *Διατριβῇ*, de ijs *CHRISTI Διοτελέσμασι*, quibus Meritum illud suum acquisivit, disceri convenit.

IX.

Et quidem i. de *Passione*. 2. de *Morte CHRISTI*.

I. DE PASSIONE CHRISTI.

X.

*Distributio
tractationis.*

Passionis igitur argumentum quod attinet: tractabimus nos illud breviter & *διδασκαλικῶς & ἐλεγχικῶς*.

XI.

1. *Διδασκαλικῶς* è *textu* Prophetico summam doctrinæ de passione *CHRISTI* repetendo.

XII.

2. *ἐλεγχικῶς* ex *Scriptura* quæstionem classicam & summè controversiam: *An & quomodo passio CHRISTI ad τὸν λόγον sive FILIUM DEI referri possit ac debeat*, accuratiusculè discutiendo.

13. 172

XIII.

In textu Prophetico de passione CHRISTI duplex te-
xitur Narratio: Generalis una: Specialis altera.

XIV.

Narratio generalis continetur ver. 3. quem non in-
scitè brevem & perspicuam totius historiae passionis e-
pitomen appellaveris.

XV.

Tribuuntur inibi CHRISTO Solùm-SALVA-
TORI Sex epithetâ, è quibus singulis & universis pas-
sionis ipsius atrocitas æstimari potest.

XVI.

Cujus gratiâ ita junguntur, ut congeriem simul &
incrementum constituent, adeoque orationem vehe-
menter-patheticam reddant.

XVII.

Appellatur enim 1. נְבוּזָה despectus & abjectus.

XVIII.

2. חָרַל אִישִׁים Vir non-Vir, ἀνανδός, qui desijt vel ces-
savit esse Vir, vel esse in numero & censu virorum, quo-
rum proprium ἀνδρίζεσθαι viriliter agere.

XIX.

3. אִישׁ מְכַאֲבוֹת Vir dolorum vel ægritudinum, ein
Schmerkenman/ein Mann zu leiden gemacht.

XX.

4. יָרוּעַ חָלִי expertus ægritudinis, vel potius cogni-
tus & familiaris factus infirmitatibus, ideò, (g) ut &
nostrarum infirmitatum sensu afficiatur.

(g) Heb. 217. 18. c. 15. XXI.

Est enim Participium Pauli, comprehendens præ-
sens activum cum præterito passivo conjunctum, ita ut
in eo non minùs ipsum esse, quàm pati significetur, uti

A 3

habet

I.

E textu Nar-
ratio.

I. Generalis,
in qua IV.
vocalia ἀ-
Ξιομνημό-
νολτα.



habet usitata Grammaticorum regula.

(g) Hebr. 2, 17, 18. cap. 4, 15.

XXII.

5. פָּנִים מְסוּמִים כְּמִסְתֵּר velut homo abscondens faciem à nobis, id est, quasi leprosus ab hominum consortio separatus, & faciem obvelans, ex lege Lev. 13, 15.

XXIII.

6. וְלֹא תִבְזֶה וְלֹא תִשְׁבְּחֶהוּ Despectus ita, ut non æstimemus ipsum.

ii.

Narratio specialis completens

XXIV.

Specialis narratio in textu sequenti subnectitur constans ἐπισημῶσαι tum CHRISTI παθημάτων: tum παθημάτων illorum αἰτίων.

i.

παθήματα CHRISTI VIII.

XXV.

Nomina παθημάτων σημερινὰ ex agro hoc Prophetico colligi possunt potissimum octo, ea; partim generalia: partim specialia &c.

XXVI.

In versu quarto 1. Nostræ ægritudines. 2. Nostri dolores. 3. נִגַּע plaga. 4. Percussio. 5. Afflictio.

XXVII.

In versu autem quinto 6. Vulnere, 7. Contusio. In Hebræo usurpatur participium נִכְרַח, quod est à radice נִכַּח in mortario contundere, id quod Anaxarcho Philosopho accidisse legimus.

Ovidius in Ibin:

Aut ut Anaxarchus pila minuaris in alta.

XXVIII.

8. Poena. In fontibus מוֹסֵר שְׁלוֹמִינוּ, quo notatur castigatio vel poena CHRISTO pro peccatis irrogata, qua nobis שְׁלוֹמִינוּ pax cum DEO (h) incōprehensibilis; (i) pax interna animarum & conscientiarum restituta. (h) Eph. 4. 7. (i) Rom 5. 1.

Quæ

XXIX.

Quæ omnia si cum historia Passionis conjunxeris: *πόρισμα* *Τ*
 ultrò apparebit, quòd cruciatuum & angorum CHRIS-
 TI *לכבד* sive onus verè extiterit immensum & infini-
 tum, quo quippe molem infinitam peccatorum totius
 Mundi, iræ Dei & condemnationis æternæ sustinuit.

XXX.

Quòd q; hac etiam parte, opus passionis CHRISTI
 verè *μονότροπον καὶ ἐξαιρετικόν*; cui nullum aliud per omnia
ἀνάλογον; & proinde *exemplum sine exemplo*; sicut à veteri-
 bus passio CHRISTI appellata est.

XXXI.

Et hinc facilè expediri potest, quoq; responsio, quan-
 do quæritur, quî factum, quòd CHRISTUS ad propin-
 quiores mortis intuitum tantoperè horrerit & trepi-
 dârit; cum constet pios martyres incredibili magnitu-
 dine animi mortem adijisse, eamque non pro terricula-
 mento: sed pro deridiculo habuisse.

XXXII.

Elucet insuper exindè: CHRISTUM non *φανόμε-
 νως ἢ κατὰ φαντασίαν*: sed *ὄντως & κατ' ἀλήθειαν* passum
 esse.

XXXIII.

Quod postremum *πόρισμα* Propheticum ex adver-
 so opponendum *Cerdonis & Marcionitarum delirij*,
 itemq; errori vulgò noto *Hilarij*.

XXXIV.

Cerdon enim & *Marcion* CHRISTUM in ho-
 minis forma sine carne, putativè & *umbraliter*, tantum
 natum.



natum & passum esse, asseverarunt, quemadmodum Irenaeus libro primo cap. 29. & Philastrius meminerunt, atq; hanc eorum rationem fuisse, Tertullianus libro contra Marcionem tertio testatur: quod natura virginem parere non ferret.

Cent. II. Magd. fol. 94.

XXXV.

De Hilario autem ita B. Chemnitius:

Habet porro errorem in fundamento, qui ab antiquis etiam reprehensus est: quod aliquoties dicit, nullum fuisse sensum doloris in CHRISTO, sed sicut telum transit per aerem vel per aquam, sine aliquo sensu, ita fuisse omnes passiones in CHRISTO. Dicit etiam VERBUM recessisse ab humana natura, cum CHRISTUS clamat: DEUS meus, DEUS meus, ut quid me reliquisti? Bonaventura vero scribit, se ex Guilielmo Parisiensi audivisse, quod Hilarius illum errorem peculiari quodam libro tractarit, sed non extat.

In Orat. de Lectione Patrum.

XXXVI.

Sed procedamus à *παθήματα* SALVATORIS ad

2. *αἴτια* passionis CHRISTI tria.

παθήματα illorum *αἴτια*, quorum tria à Propheta recensentur.

XXXVII.

I. I. Est causa *αἰτία* *καρπικῆ*, talisq; statuuntur esse peccata nostra, & quidem (id quod maxime à *ἄξιωματόν* *δύτον*) duodecim distinctis vicibus, veluti, bis ver. 4. quater ver. 5. itemq; semel ver. 6. 8. 10. 11. & tandem iterum bis v. 12.

XXXIIX.

II. II. Est causa *πληρῆ* ambitu suo complectens; fructus & effectus passionis CHRISTI longè nobilissimos, qui, distinctioris doctrinae gratia, vicissim subdividi possunt, in fructus *privatos* & *publicos*. Fructus

XXXIX.

Fructus *privati* in unumquemq; sigillatim redundant, adeoq; sunt *rursus* *duum* generum.

XL.

Quidam ἀφαιρέσει τῶν κακῶν constant, cujus modi peccata nostra, ac Vulnera Conscientiæ, quæ CHRISTUS suis vulneribus curavit.

XLI.

Quidam contrà constant θέσει τῶν ἀγαθῶν, quæ Prophetata, nomine pacis, in unum quasi fasciculum colligit colligatq;

XLII.

Publicus porrò Passionis CHRISTI acerbissimæ fructus in *universam* Ecclesiam redundat, estq; hominum, qui, ovium errantium instar, hinc inde dispersi, in unum commune Ecclesiæ Ovile congregatio. *Iohan. II, 52.*

XLIII.

III. Est *Causa* εἰδική, ad quam è textu Prophetico duo referri possunt ac debent.

XLIV.

Vna ex parte, Hostium CHRISTI sævientium truculentia & immanitas, cujus testes sunt voces παθημάτων CHRISTI σημαντικαί, de quibus paulò antè.

XLV.

Ex *altera* verò parte admiranda CHRISTI patientia & humanitas, quam Propheta similitudine Agni & ovis insigniter celebrat, &, ut summè ἀξιωμαχτον, commendat.

XLVI.

Et hæcenus fuit brevis & cyclica doctrinæ de passione ex Prophetico textu repetitio: jam instituti ratio postulat, ut ad tractationem ἐλεγκτικὴν accessum faciamus.

B

47. Hic

3.

XLVII.

II. *Questio* Hic verò discutiendam se exhibet quæstio isthæ
Controversa. verè classica, qua dilceptatur, inter nos & Adversarios.
An & quomodo Passio CHRISTI ad τὸν Λόγον sive FILI-
UM DEI referri possit ac debeat?

XLIX.

Sententia Li- Liber Concordiæ, aureolum illud Ecclesiarum, non
bræ Concordiæ μέγρι τῶ λέγειν: sed ὄντως καὶ κατ' αὐτὸ τὸ πρᾶγμα, Luthe-
 ranarum symbolon, nostram de hac quæstione senten-
 tiam succinctè pariter ac perspicuè hunc in modum ex-
 ponit:

Inde credimus, docemus & confitemur, quòd non nudus ho-
mo tantum, pro nobis passus, mortuus & sepultus sit, & c.
Sed talis homo, cujus humana natura cum FILIO DEI
tam arctam ineffabilemque, unionem & communicationem
habet, ut cum eo una sit facta persona.

Quapropter verè FILIUS DEI pro nobis est passus: sed
secundum proprietatem humana natura, quam in uni-
tatem divina sua persona assumpsit, sibiq; eam propriam fe-
cit: ut videlicet, pati, & Pontifex noster summus reconci-
liationis nostræ cum DEO causa esse posset. Sic enim scri-
ptum est: DOMINUM gloria crucifixerunt. Et: Sanguine
DEI redempti sumus.

In Epitome artic: 8. de Persona CHRISTI fol. 607. & 608.
 XLIX.

Analysis Con- Ex quibus verbis apparet, quòd Confessio nostra,
fessionis vera de præsentè Controversia, ad VII. potissimùm theses
in 7. theses. revocari queat. L.

Quarum 1. Passiones CHRISTI sunt totius perso-
 næ. LI.

2. Divina CHRISTI natura est ἀπαθὴς καὶ ἀθάνατος,
 & proinde nec fides, nec ratio, ut aliquid patiat, ad-
 mittit:

mittit: Humana verò ejus natura passionibus fuit obnoxia.

LII.

3. Non tamen $\psi\iota\lambda\omicron\varsigma\ \acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\omicron\upsilon$ pro nobis passus est.

LIII.

4. Sed talis Homo, cujus humana natura, cum **FILIO DEI** tam arctam ineffabilemque unionem & communicationem habet, ut cum eo una sit facta persona.

LIV.

5. Ac proinde verissimum est, planèque $\acute{\alpha}\nu\tau\acute{\iota}\mu\epsilon\tau\eta\tau\omicron\varsigma$ quod **FILIUS DEI** pro nobis passus sit.

LV.

6. Non quidem secundum Divinam suam Naturam: sed secundum humanam naturam, personaliter sibi unitam, quæque est proprium ipsius $\kappa\alpha\tau\omicron\iota\kappa\eta\tau\eta\rho\iota\omicron\nu$, in quo totâ plenitudine Deitatis suæ infinitæ $\sigma\omega\mu\alpha\tau\iota\kappa\omega\varsigma$ habitat.

LVI.

7. Et hinc non tropica & verbalis: sed vera & realis est prædicatio, quando dicitur:

DEUS est passus, DEUS est mortuus, FILIUS DEI est passus: FILIUS DEI est mortuus.

LVII.

Sed ne videamur aliquid $\acute{\alpha}\tau\epsilon\rho\ \gamma\rho\alpha\phi\omega\nu$ affirmare: *theses VI l.* singulas jam theses ordinè confirmare, simulque antihi- *ordine confir-* theses Adversariorum repudiare, cælestis jubet monet. *mantur.* que veritas.

LIX.

1. Quòd *passiones CHRISTI totius sint personæ, vel ex* L.
symbolo Apostolico constat, & proinde non usque adeo
est controversum.

LIX.

Nos $\epsilon\kappa\ \tau\eta\varsigma\ \pi\epsilon\rho\iota\sigma\tau\iota\alpha\varsigma$ addimus Regulam Lutheri:

B 2

Adiones

Actiones & passionēs tribuendae sunt personae, et si earum origo est ex proprietatibus naturarum distinctis.

LX.

2. Quod Divina CHRISTI natura sit ἀπαθήs καὶ ἀθά-
νατος: & illud utiq; copiosā & operosā demonstratio-
ne non indiget.

LXI.

Per se enim patet, & Scripturæ testimonia satis sunt
clara & perspicua. *Mal. 3, 6. Rom. 1, 23. Iac. 1, 17.*

LXII.

Unde (k) & Theodoretus tradit, in Divinitatem nul-
lam προπήν, nullumq; πάθος φθαρτικόν cadere. Et Dama-
scenus scribit:

lib. 3. ὁρθ. πίς. c. 4.

ὁ φάμεν θεότητα παθητήν ἢ κλισίην.

(k) Dial. 1. & 3.

LXIII.

Execramur itaq; Dimoeritas, qui inter alia conten-
derunt: Divinam in CHRISTO naturam passam esse.

Epiph. her. 77.

LXIV.

3. Quod insuper non ψιλὸς ἀνθρώπος pro nobis passus,
Catholica Ecclesiæ fides cogit nos confiteri.

LXV.

Aliàs enim omne Salutis nostræ remedium evacu-
aretur, uti Augustinus alicubi loquitur.

LXVI.

Quî enim Natura humana, quæ finita, seorsim potuit
sustinere infinitā DEI iram, pro infinitis totius Generis
humani peccatis, quæ singula & universa (ὑποπέσθη) uno
quasi impetu in CHRISTUM irruere fecit DOMINUS,
ut habet verbum Prophetæ nostri. v. 6.

67. Et:

LXVII.

Et hoc est, quod Theander *Lutherus*, tanto Spiritus fervore, contra larvam Diaboli, id est, Alceosi illam Zwinglij, urget, inter alia sic scribens:

Du aber/lieber Bruder/ solt an statt der Alceosi das behalten/ weil **JESUS CHRISUS** warhafftiger Gott vnd Mensch ist/in einer Person/So werde an keinem ort der Schrift/ eine Natur für die ander genommen/ Denn das heißt er Alceosi/wenn etwas von der Gottheit **CHRISTI** gesagt wird/ das doch der Menschheit zustehet/ oder widerumb/ als Luc. ult. Musste nicht **CHRISTUS** leiden/ vnd also zu seiner Ehre eingehen? Sie gauckelt er/ daß **CHRISTUS** für die Menschliche Natur genommen werde. Hüt dich/ hüt dich/sage ich/für der Alceosi/sie ist des Teuffels Larven/ Denn sie richtet zu letzt einen solchen **CHRISTUM** zu/ nach dem ich nicht gern wolt ein Christen sein/ Nämlich/
Daß CHRISTUS hinsurt nicht mehr sey/
 noch thue/mit seinem Leiden vnd leben/denn ein ander schlechter Heilige/ denn wenn ich das glaube/daß allein die Menschliche Natur für mich gelidten hat/ so ist mir der **CHRISTUS** ein schlechter Heyland/ So bedarffer wol selbst eines Heylands. Summa/ es ist unsäglich/was der Teuffel mit der Alceosi sucht.

Tom. 3. Jen. Germ. fol. 455.

LXVIII.

Quòd verò passio **CHRISTI** sufficientissima est, adeoq; infiniti meriti precij & ponderis: id utiq; non ex carne: sed ex Deitate ipsius æstimandum est,

Epiphani. hæc. 77. κατὰ Διμορίτων.

LXIX.

Quin imò hæc, hæc inquam, causa est, & non alia, ob

B 3

quam

quam REDEMTOREM oportuit esse non $\psi\iota\lambda\omicron\nu\acute{\alpha}\nu\theta\epsilon\omega\pi\alpha\tau\epsilon\upsilon$: sed $\theta\epsilon\acute{\alpha}\nu\theta\epsilon\omega\pi\omega\upsilon\omicron\nu$, DEUM ac Hominem pariter, DEUM nempe, qui posset (inquit Anselmus) Hominem, qui deberet.

LXX.

Meritò igitur explodimus & damnamus delirium Nestorij, qui vociferari solitus :

Noli gloriari Judae. Non enim DEUM: sed HOMINEM crucifixisti.

Cassiodorus in Hist. Trip. lib. 12. c. 4.

LXXI.

4. Quòd talis Homo pro nobis passus sit, cujus humana natura ipsi FILIO DEI personaliter unita, vel, qui & ipse, simul in unâ & eâdem persona FILIUS DEI qui Carnem assumptam, ut Cyrillus loquitur, per modum $\iota\delta\iota\omicron\omega\upsilon\iota\alpha\varsigma$, cum omnibus actionibus passionibus infirmitatibus sibi appropriavit: id tali argumento demonstramus:

Humana CHRISTI natura patiens, vel fuit intra λόγον: vel extra λόγον.

Sed hoc est absurdum & planè Nestorianum.

Tollit enim personalem naturarum unionem $\upsilon\pi\omicron\sigma\alpha\lambda\iota\kappa\acute{\omega}\varsigma$, id est, $\acute{\alpha}\delta\iota\alpha\iota\gamma\epsilon\tau\omega\varsigma$, $\acute{\alpha}\delta\iota\alpha\sigma\acute{\epsilon}\tau\omega\varsigma$ & $\acute{\alpha}\delta\iota\alpha\sigma\acute{\alpha}\varsigma\omega\varsigma$ factâ.

Ergo verum illud, quod erat demonstrandum.

LXXII.

Fallunt igitur & falluntur Pezelius, Anbaldini, Piscator & alij Calvæ cohortis socienni, qui SOLAM humanâ CHRISTI naturâ passam esse, $\acute{\alpha}\pi\omega\alpha\iota\delta\epsilon\upsilon\tau\omega\varsigma$ garrunt, adeoq; hanc enunciationem: *FILIUS DEI passus est*: ita explicare non verentur: *Humana natura FILIO DEI unita, est passa*, quasi sit synecdoche totius pro parte.

LXXIII.

Sed manifestè apparet, quod particula SOLA excludat à passione CHRISTI personam, cujus, & non natu-

ra, sunt actiones & passiones, id quod in schola etiam
Philosophica est decantatissimum.

LXXIV.

5. Quod præterea verè & rectè dicatur *FILIUS DEI* 5.
pro nobis passus & mortuus: id Scriptura plurimis in locis
abundè testatur, ut:

Act. 1. *PRINCIPEM VITÆ interfecistis.*

Act. 20. *DEUS acquisivit Ecclesiam SANGVINE SVO.*

Rom. 5. *Reconciliati sumus DEO per mortem FILII EIUS.*

Rom. 8. *DEUS PROPRIO FILIO non pepercit: sed pro
nobis omnibus TRADIDIT ipsum.*

1. Cor. 2. *DOMINUM GLORIÆ crucifixerunt.*

Gal. 2. *FILIUS DEI tradidit SEMETIPSUM pro
me.*

1. Johan. 2. *SANGVIS JESU CHRISTI FILII DEI
emundat nos ab omni peccato.*

LXXV.

Et hinc *Bernhardus* non minùs, verè, quàm eleganter
pronunciavit:

*Vna guttula sanguinis JESU CHRISTI sufficit pro Re-
demptione totius Mundi, etiam si Mille essent Mundi.*

LXXVI.

Ratio in promptu est. Quia Sanguis *CHRISTI*
non est nudì ac puti hominis sanguis: sed est *FILII DEI*
sanguis, (ut *Cyrillus* frequenter loquitur) est sanguis, qui à
tali persona fusus, quæ & ipsa est æternus & omnipotens
DEUS, & ex tali carne, in qua tota plenitudo *DEITATIS*
genitæ περιχωρήσει intimâ & ineffabili σωματικῶς habi-
tat *Coloss. 2.*

LXXVII.

Et huc pertinet insignis isthæc & Θεολογικῶτάτη Theo-
logorum omnium *Phosphori* sententia:

Tom.

Nach H & X Gott/ von solchem seligen tröstlichen Artikel/
solt man ungezantzt/ ungezweifelt in rechtem Glauben im-
mer frölich sein/singen/loben/ vnd dancken/Gott dem Vater
für solche vnaussprechliche Barmhertzigkeit/ daß er seinen
lieben Sohn hat lassen vns gleich Mensch vnd Bruder wer-
den/So richtet der leidige Satan / durch stoltze / ehrsüchtige/
verzweiffelte Leute solchen vnlust an / daß vns die liebe vnd se-
lige freude muß verhindert vnd verderbet werden / das sen
G D Z geklagt. Denn wir Christen müssen das wissen/
Wo Gott nicht mit in der Wage ist/ vnd das Gewicht gibt/so
süncken wir mit vnser Schüssel zu grunde/Das meine ich also/
Wo es nicht sol heißen/ Gott ist für vns gestorben/ Sondern
allein ein Mensch/ so sind wir verlorn / Aber wenn **Gottes**
Todt/ vnd Gott gestorben in der Wageschüssel ligt / so
süncket er vnter/ vnd wir fahren empor / als eine leichte ledige
Schüssel/Aber er kan auch wol wider empor fahren / oder aus
seiner Schüssel springen. Er köndte aber nicht in die Schüssel
sitzen/ Er müste vns gleich ein Mensch werden/ daß es heißen
köndte/Gott gestorben/Gottes Marter/Gottes Blut/Gottes
Zodt/Denn Gott in seiner Natur kan nicht sterben/ Aber nun
Gott vnd Mensch vereinigt ist in einer Person / so heissets
recht/ Gottes Todt/wenn der Mensch stirbt/ der mit Gott ein
ding oder eine Person ist.

LX XII X.

6. Adhæc quòd FILIUS DEI passus sit non secun-
dum Divinam suam naturam ; sed in carne assumtâ &
personaliter sibi unitâ : id docet & confirmat Scriptura
particulis *διόπισιν* (non *χωρίσιν*) vel *explicitè adiectis*
vel *implicitè subintellectis* ut:

1. Pet. 3. *CHRISTUS mortificatus CARNE.*

1. Pet. 4. *CHRISTUS passus est pro nobis CARNE.*

2 Cor. 13. *Crucifixus fuit EX INFIRMITATE.*

Eph. 4. *Duxit simultatem cœt̄i suæ IN CARNE SUA.*

Col.

Col. 1. Reconciliavit IN CORPORE CARNIS SUÆ
PER MORTEM.

Et sic quoq; orthodoxa Antiquitas doctrinam hanc
proponit & explicat:

Athanasius Epist. ad Epict.

Fabricator mundi patitur in corpore contumelijs affecto.

Ambrosius de incarn: Domini.

*Non moriebatur secundum aeterna substantiam vitæ: sed
secundum nostra susceptionem naturæ.*

Leo, Serm. 1. de pass.

Divinitas, quæ erat in dolente, non erat in dolore.

Epiphanius Heresi 80.

*CHRISTUS patitur, non homine per se existente, & per
se item Deitate, sed simul presente Deitate.*

Et Heresi 77.

*DEUS & DOMINUS gloria existebat in corpore igno-
miniosè crucifixo, & honore exuto.*

Cyrillus in Epist. ad Nestor.

*DEUS dicitur passus, non secundum naturam VERBI, sed
quia proprium illius corporis est, quod passum est. In
erat enim in corpore, quo patiebatur, DEUS.*

Idem de incarnat. cap. 28.

*Patitur DEUS, corpore patiente, eò quòd ipsius sit pro-
prium, quantum verò pertinet ad Divinitatis naturam,
manet impassibilis.*

Vigilius lib. 3. cap. 3.

*Passus est DEUS in unione personæ, non in proprietate
naturæ, siquidem passionis injurias DEUS ipse pertulit: sed
passionem sola ejus caro persensit.*

Gregorius Nyssenus.

C

Corpo-

Corporis sunt passiones, DEI vero operationes.

Cassiodorus.

Impassibilis passus est per passibilem, quam suscepit, humanitatem, & immortalis mortuus est, & immortalis qui nunquam moritur, resurrexit.

LXXIX.

Epiphanius mysterium istud hac similitudine declarat:

Ὅτι ἐκράντισμὸς ἀματῶν τυγχάνει βαφῆ ἐν ἱματίῳ, τὸ μὲν σῶμα, ὅτι ἐφαψέ τῶ φορέντι, ἡ δὲ βαφὴ τῶ ἱματίῳ ὅτι εἰς τὸ ἱμάτιον λελόγισται; ἀλλ' εἰς τὸν ἄνθρωπον τὸν φορέντα: ἕτω καὶ τὸ πάθος τῆ θεότητι μὲν ὅτι ἐνέσκηψε, ἀλλ' ἐν τῆ ἐνανθρωπήσει ἐγένετο, ἀλλ' ἐλογίσθη καὶ εἰς τὴν θεότητα.

Heres. 37.

XXC.

Execramur proinde; Marcellianos, quos contendisse DEUM PATREM quoque passum esse, eosque inde Patripassianos appellatos, scribunt.

XXCI.

Eadem execratione digna est calumnia Bellarmini, qui pro impudentiâ suâ Jesuiticâ propalam affirmative non erubescit: doceri à Lutheranis:

Quasi ipsa Divinitas facta sit passibilis.

Lib. III. De CHRISTO cap. 9.

XXCII.

Et quanquam nonnulli Confessionis Augustanae socij, ut & ipse Reverendus Pater Lutherus, Divinitatem passionis participem factam esse scripserunt: id tamen non ἀπλῶς intelligunt de naturæ proprietate: sed σχετικῶς, id est de personæ identitate, respectu personalis unionis, διὰ τὴν τῆς ὑποστάσεως ταυτότητα, καὶ τὴν εἰς ἀλλήλους ἀχώρησιν, sicut Damascenus loquitur lib. 3. ὁρθ. πρὸς. c. 4.

Et

XXCIII.

Et sic *Lutherus* suam ipsemet mentem apertè & disertè explicat, ijs ipsis locis, quibus phrasi illa utitur, quemadmodum paulò post ex eorum allegatione, abundè patebit.

XXCIV.

Addè, quòd eodem intellectu celeberrimus ille Chori Antiquitatis orthodoxæ Antistes *Augustinus*, hanc protulerit sententiam:

Deitas, qua meam induit naturam, crucis ascendit patibulum, & in carne assumpta triste tulit supplicium.

Cap. 6. Medit. XXCV.

In carne, inquit, assumptâ, non *πάθη* & *φρασηὸν κατ' ἑαυτὴν* sustinendo: sed in carne carnis passiones subeundo, easq; carni inflictas, ut *propria sua carnis* passiones sibi vendicando, simulq; carnem efficaciam suâ potentissimè roborando & sustentando, ne succumberet, utque passiones essent *λύτρον*, pro totius Generis Humani peccatis, sufficientissimum, perfectissimâq; imò infinitæ virtutis ac meriti.

XXCVI.

Quod denique non tropica & verbalis: sed vera ac realis sit prædicatio, quando dicitur: *DEUS EST PASSUS, FILIUS DEI EST PASSUS* &c. illud è mysterio Unionis Hypostaticæ rectè pariter & invictè educit & astruit *VIR DEI* *Lutherus*.

XXCVII.

Ipsa ipsius verba *ἰδιωγλώσως* adscribimus, ijsq; non calamo tantum: sed animo etiam intrepidè subscribimus:

Tom. 3. Jen. Germ. f. 455.

Ob nu hie die alte Wettermacherin fram Vernunfft / der Alceosis Grossmutter sagen würde / Ja die Gottheit kan nicht leiden noch sterben / soltu antworten / Das ist war / Aber dennoch weil Gottheit vnd Menschheit in CHRISTO eine Person ist / So gibt die Schrift / vmb solcher Persönlicher Einigkeit willen / auch der Gottheit / alles was der Menschheit widerfehret / vnd

E ij

wider

widerumb/ vnd ist auch also in der Wahrheit/ Denn das mustu ja sa-
gen/ Die Person/ (zeige/ CHRISTUM) leidet/ stirbet/ Nun ist
die Person warhafftiger Gott/ darumb ist's recht geredt/ Gottes
Sohn leidet. Denn ob wol das eine Stück (daß ich so rede) als die
Gottheit nicht leidet/ so leidet dennoch die Person/ welche Gott ist/
am andern stücke / als an der Menschheit.

Tom. 7. Jen. fol. 84.

Ja alles was die Schrifft von CHRISTO redet/ das redet
sie also/ das die gantze Person fasset/ gleich als were beyde (Gott vnd
Mensch) einerley wesen/ vnd offft also die wort verwechselt/ daß von
jeglicher Natur beyderley gesagt wird/ vmb der Persönlichen ei-
nigkeit willen/ welchs man heist communicationem Idiomatum,
daß man mag sagen/ Der Mensch CHRISTUS ist Gottes ewi-
ger Sohn / durch welchen alle Creaturen geschaffen sind / vnd ein
HERR Himmels vnd Erden etc. Also auch widerumb/ CHRISTUS
Gottes Sohn (das ist/ die Person so warhafftiger Gott ist)
von der Jungfrauen Maria empfangen vnd geborn/ vnter Pontio
Pilato gelidde/ gecreuziget vnd gestorbe/ Item Gottes Sohn sitzet
mit den Jölnern vnd Sündern vber Tisck/ weschet den Jüngern die
füsse. Das thut er wol nicht/ nach der Göttlichen Natur/ Aber doch/
weil dieselbige Person solchs thut/ ist es recht gesagt / dß Gottes
Sohn solches thue. Also spricht Paulus 1. Cor. 2. Wenn sie es erkend-
t hetten/ so hetten sie den HERRN der Ehren nicht gecreuziget/ &c.

LXXXVIII.

Contra rejicimus & ex agro Ecclesiae proscribimus,
1. praedicationem *κεκην*, & nudam relationem Nestorij.

LXXXIX.

2. Metum praeposterum Nestorij sectatoris, Theodoretij,
qui enunciationem hanc: *Deus est passus*, noluit admit-
tere, quasi esset *ἀγραφ*. Dial. 3.

XC.

3. *ἀλλοίωσι* Zwinglij, qua in ejusmodi propositio-
nibus naturam Divinam pro humana poni asseveravit,
teste Luthero. Tom. 3. Jen. Germ. f. 45 r.

Omnes

XCI.

4. Omnes Zvinglij affectas & discipulos, quibus eadem *κυβερνησις καὶ μεθοδεία τῆς πλάνης* Scripturam *ερεβλέν* nulla planè religio & formido.

Beza 1. Resp. ad Colloq. Mompel. 113.

Sadael de verit. nat. hum. f. 80, & 109.

Anhalt. Apol. 246, 247. & c. Danæus in Exam. Chemn. p. 24, 291. XCII.

Et hæctenus de Passione CHRISTI: subjicimus paucula de ipsius sanctissima morte.

DE MORTE CHRISTI.

XCIII.

De Morte Sospitatoris nostri *Θυμηρεσάτης* hæc Propheta noster memoriæ prodita reliquit oracula:

v. 8. *E terra viventium abscissus est.*

v. 12. *Tradidit in mortem animam suam.*

Tria Mortis
CHRISTI
adjuncta.

XCIV.

Nos indè *tria* elicimus Mortis CHRISTI adjuncta, ut, quòd fuerit, mors 1. vera. 2. immerita. 3. Voluntaria.

XCV.

1. Quòd fuerit mors vera: *geminâ* phrasi innuitur: 1. Mors vera.

XCVI.

Vna est, quòd dicitur *abscissus è terra viventium*, id est, ex hac vita in illam alteram translatus, non miraculosa(m) *μεταθέσει*: sed violenta *ἀποτμήσει*, planè ut de Jeremia legitur *Ier. 11. 19.* (m) *Gen. 5, 22. 2. Reg. 2, 11. Heb. 13, 5.*

XCVII.

Per terram viventium enim hæc præsens vita notatur, uti *Iob. 28, 13. Ier. 11, 19.* XCIIIX.

Dum vero CHRISTUS è terra viventium se excindi passus est partem, nobis peperit in cælesti Paradiso, de qua *Psal. 142, 6.* XCIX. *Alte.*

Altera phrasis est, quod traditurus in mortem animam suam. C.

In Hebræo usurpatur verbum $\eta\rho\upsilon\eta$ quod effundere & proinde animam à CHRISTO effusam & per mortem verè solutam fuisse significat. CI.

Idem quoque insinuant phrascs Evangelistarum, quibus in describenda morte CHRISTI utuntur:

Matth. c. 27, 50. ἀφῆκε τὸ πνεῦμα.

Marc. 15, 36. & Luc. 23, 46. ἐξέπνευσα.

Ioh. 19, 30. παρέδωκε τὸ πνεῦμα.

CII.

Eòdem pertinet emphatica hæc ipsius CHRISTI sententia: *Ioh. 10. ἐγὼ τίθημι τὴν ψυχὴν μου.*

CIII.

Ex quibus omnibus rectissimè colligitur & infer-
tur, quòd mors CHRISTI sit:

ἡρῶ vel *ἡρῶ* effusio, ἀφῆσις, παρέδοσις, θῆσις,
anima vel spiritus ejus.

CIV.

Sicut resurrectio ipsius contrà, λήψις, vel potius ἐπα-
νάληψις animæ à corpore per mortem antea separata.

CV.

Præbet verò hæc fundamentalis Mortis CHRISTI me-
ditatio, evidentissimum pariter potentissimumq; ἐλεγ-
χον, contra *Manichæos Gnosticos, Θεοπαχῆτας, ἀφθαρτοδοκή-
τας*, qui nugati: FILIUM DEI mortuum esse κατὰ δόκησιν,
καὶ φαντασίαν, ut qui habuerit corpus ἀφθαρτον, id est, τῶν
φυσικῶν καὶ ἀδιαβλήτων παθῶν ἀνεπίδεκτον, quemadmodum
Acta II. Synodi Constantinopolitanae testantur.

CVI.

II. Mors im-
merita.

2. Quòd mors CHRISTI fuerit *immerita*, sicut in ἐκθῆσει
II. Articali Symboli Apostolici: ὁμοθυμαδὸν confitemur: id u-
tiq;

siq; Propheta innuit in fontibus Verbo קָרַח quod proprie significat, arborem virentem & vigentem, plenamque succi vividi, per vim, securi excidere, ut *2. Reg. 6, 4.*

CVII.

Quæ emphasis ac metaphora etiam est in verbo קָרַח quo Daniel interfectionem Messia designat. *c. 9, 26.*

CIIX.

Utroq; autem indicatur *Violentia* hostium, qua *Arbor illa vite* elegantissime florens virensq; præter omnes fas nihilq; quicquam tale merita, vi manifesta ex terra viventium excisa fuit. CIX.

Et huc alludit Salvator ipsemet, in concione valedictoria, *Luc. 23. Si in humido ligno, inquit, hac faciunt, in arido quid fiet?* CX.

Et sanè ut mors CHRISTI Salutaris foret: ad eandem utique concurrere oportuit CHRISTI innocentiam, vel vitæ sanctitatem. CXI.

Unde scitum illud Bernhardi:

(f) *Quo pacto mors Hominis illius præ altero valuit? Quia & Iustus erat. Profecto namq; cum homo esset, potuit mori. Cum justus, non debuit gratis.*

Et istud Augustini:

(g) *Dignè deleuit aliena peccata, qui non habuit propria.*

(f) *in Serm. ad Milites.* (g) *in Serm. 14. de temp.*

CXII.

In gravissimo igitur errore verlatur *Piscator*, obedientiam CHRISTI activam à passiva sequestrans, eamq; meritariam esse negans. *in comment. in Epist. ad Rom. c. 4, 5.*

CXIII.

3. Quòd deniq; Mors CHRISTI fuerit voluntaria: id Propheta itidem emphasi verbi קָרַח paulò ante excusâ haud obscure innuit. *III. Mors voluntaria.*

Ipsè

CXIV.

Ipsè verò Salvator adhuc luculentius istud edisserit
in illo Johannis 6. 10.

EGO pono animam meam.

Item. *NEMO tollit eam à me : SED EGO pono eam.*

CXV.

Quò accedunt isthæc ἀξιωματικῶν ὀρθοδόξων Ἀντι-
quitatis: Tertullianus:

Spiritum spontè dimisit præventò carnificis officio.

Hieronymus & Beda:

*Bene tradidit, qui non invitus amisit. Quod enim emitti-
tur, Voluntarium: quod amittitur necessarium est.*

CXVI.

Quod superest: concludimus ἐν τῷ πρῶτῳ ἐπιτομῆς Bernhardi

In cruore tuo lotum,

Me commendo tibi totum.

Tua sancta manus ista,

Me defendent JESU CHRISTE,

Extremis in periculis.

COROLLARIA.

I. Verba CHRISTI, DEUS DEUS meus quare me dereliquisti, non
sunt verba desperantis, ut Præmonstratensis quidam Apostata, cujus
in Catalog. Hæreticorū mentio fit, blasphematur, hujusq; blaphe-
miæ in crustator Calvinus, in Harm. f. 369. lib. 2. Inst. c. 16, sect. 10. 11.

II. Voluntas CHRISTI humana, non est contraria Divina, ut Scholastici
sophisticantur, ejusdemq; Sophistices Magister Johannes Piscator aperte
scribens: Voluntatem humanam CHRISTI esse Divinæ contrari-
am Logicè, tametsi non moraliter in *Analysi in cap. 23. Matth.*

III. CHRISTUS etiam pertulit pœnas infernales damnatorum, id quod
Bellarminus negat lib. 4. de anima CHRISTI cap. 8.

IV. Iesuitarum & Capucinatorum flagellatio nequaquam est opus merito-
rium & satisfactorium, cujus fructus alijs non tantum de congruo: sed & de
condigno applicari possit, sicut Gretserus impijssimè & plusquam blasphemè
contendit, lib. 3. de discipl. C. 1. & alibi.

F I N I S.

Umg. VI 18

ULB Halle 3
003 018 784



Sb.

Relic
VD 17

Z





B.I.G.

Farbkarte #13

66

כִּיְהוּה אֱלֹהִים

DISPUTATIO IIII.
in Cap. LIII. Esaia,

De
PASSIONE AC
MORTE CHRISTI,
In Electorali ad Albim Academia,
Adversus Hæreticos tum Veteres, tum
Novos instituta,

AUTORE AC PRÆSIDE
IOHANNE FORSTERO
SS. Theologiæ Doctore & Pro-
fessore publico,
RESPONDENTE
M. MATERNO SCHILTERO
Lipsiensi,
Die 22. Sept. horis locorū consuetis.

WITTEBERGÆ,

Typis Johan. Gormanni, Anno 1610.

